

U S U S. *Ascarides in intestino recto injectione
adhibitum necat.*

Ad hanc normam parantur.

OLEUM HYPERICI SIMPLEX.

LAURINUM.

ROSATUM.

LUMBRICORUM TERRE-
STRIMUM.

OLEA INFUSA.

OLEUM LILIORUM ALBORUM.

R. Florum liliorum alborum absque an-
theris.

Olei olivarum ãã. p. æq.

Per aliquot dies macerata ad calorem solis
digerantur.

U S U S. *Virtute gaudet emolliente, atque ano-
dyna, hinc ad ambusta adhibetur.*

OLEUM SCORPIONUM.

R. Scorpionum vivorum No. LX.

Olei olivarum ʒj.

Macerentur in loco calido per 14 dies, dein
in balneo fervente coquantur, exprimantur,
colentur.

U S U S. *Hoc oleum ad urinam et calculos pel-*

lentos regioni pubis et renum illinitur, et ad ictus venenatorum animalium commendatur.

OLEA EMPYREUMATICA.

OLEUM CORNU CERVI.

R. Cornu cervi frustulatim concisi q. v.

Immitte retortæ lutatæ vel cucurbitæ ferreæ alembico terreo vitreato munitæ, ac igne aperto gradatim, ad ignitionem retortæ usque, aut cucurbitæ administrato, omnes cum *phlegmate, sale volatili, ac oleo, spiritus evoca,* quæ omnia ab invicem separa & seorsim serva.

Usus. *Est oleum penetrans ac resolvens unde emplastris ac unguentis solventibus immisceri potest.*

OLEUM SUCCINI.

R. Succini contusi vel rasi q. v.

Mixtum cum arena destilletur, igne gradatim aucto. Oleum destillatione elicatum cum muria salis marini e cucurbita vitrea rectificetur.

Usus. *Ad parandam aquam Lucie adhibetur.*

OLEUM TARTARI FOETIDUM.

R. Tartari rubri depurati quantum sufficit ad repletionem retortæ terreæ ad duas tertias.